



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Punctum Difficultatis 2. Statuitur de peccato Luciferi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

nec volo ab illo evchi ulterius, non dicitur esse superbus, sed incurius suarum rerum; & si reperitur hic aliqua superbia, reperitur non nisi interpretativè & indirectè. Cum tamen Patres absolute enuntiant peccatum Luciferi, fuisse superbiam.

SECUNDA CLASSIS est eorum, qui docent peccasse Luciferum per inordinatum appetitum beatitudinis supernaturalis. Et quidem quod non peccarit habendo appetitum beatitudinis supernaturalis, inde constat: quia erat in illo obligatio habendæ spei, & quia alias nos etiam peccaremus, illam appetendo. Totum ergo stat in hoc, quod inordinatè illam appetierit. Hanc sententiam docuit Her. Ægyd. Bassolus imò etiam Albert. Argent. Durandus & alii apud Suar. cit. c. 11.

Difficultas in hoc sita est, in quo fuerit deordinatio peccaminosa in appetitione illius?

Ponunt aliqui disordinationem in hoc, quia incidit in errorem Pelagianorum putans se viribus naturæ, posse beatitudinem supernaturalem acquirere. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. At ut verum fatear est hæc sententia S. Th. & hic & 3. contra Gentes c. 110. Clariusque adhuc q. 16. de malo a. 2. ad 4. Sed pro nobis stat Major S. Thomæ in quantum pluribus locis docet, non fuisse in Angelis errorem positivum. Quod autem tale peccatum non potuerit esse sine errore positivo, probatur. Vel apprehenderat Angelus illam beatitudinem esse supernaturalem, & excedentem, vel non apprehenderat: Si non apprehenderat, quomodo objectum peccati, erat contempta beatitudo supernaturalis? Si autem apprehenderat illam beatitudinem esse supernaturalem, ergo non potuit putasse, vel voluisse illius affectionem viribus naturæ: Nam judicasset simul duo contradictoria esse vera, nempe & esse illam beatitudinem supernaturalem ut supponitur; & non esse, quia quod debetur saltem tantum præmium merito naturali, non est supernaturale præmium; ex titulo enim supernaturalitatis, in ratione præmii, debet excedere merita in ratione meriti naturalia. Quando autem dicit Vasquez, ex sola simplici apprehensione, sine ullo errore, potuisse illum progredi ad volendam beatitudinem supernaturalem, tanquam viribus naturæ debitam, id quidem verum est, quia ad multos actus voluntatis, sufficit sola prima operatio, id tamen accipiendum cæteris paribus: non sunt autem cætera paria quando intellectus per demonstrationem dicit illud non esse possibile, adeoque nec appetibile. Quod si recurras ad hoc, etiam impossibilia sub conditione appeti posse: id quidem concedo, sed est necesse alio titulo suadere talis actus vitiositatem, cum talis actus possit esse honestus.

Eò referri debet illorum sententia qui docent, quod Lucifer arrogaverit sibi majora me-

rita quàm ulli alteri Angelo, & quod simul voluerit, ne homines ad visionem evhererentur. Hoc enim non convincit: Quia demonstrabat sibi quod merita naturalia ad beatitudinem supernaturalem non valuerint; supernaturalia autem nec sua, nec aliena noscebat. Cumque alios esset tracturus ad peccatum, non poterat appetuisse tale bonum, quod nullo modo derivaretur, in sortem reliquorum. Beatitudinem etiam hominibus poterat invidisse: sed hoc non constat certò, nec id exaggerat peccatum illius, in formalitate superbiæ.

EXPLICANT 3. Alii, dicuntque superbiam Luciferi versatam esse circa ipsummet Deum appetendo æqualitatem cum Deo quâ tali. Hocque docet Scotus Gabr. Lich. imò & nosster Vasq. d. 234. c. 2. *Hæc explicatio*

NON SATISFACIT. Quia vel appetiit Angelus æqualitatem perfectam, & quidem absolute. Vel appetiit æqualitatem perfectam, sed non nisi conditionatè: Vel appetiit æqualitatem imperfectam. Neutrum dici potest. Non primum, quia judicabat esse impossibile ut prædicatum ab alio, fiat prædicatum A se: vel ut prædicatum ab alio, manens tale, æque sit dignum ac prædicatum A se: quod si hoc judicabat impossibile, judicabat etiam non appetibile: Ergo talem æqualitatem non appetiit. Si autem appetiit æqualitatem illam sub conditione; hujus affectus aliundè pravitas ostendi debet: Annon enim Patres spirituales dicunt, hunc bonum esse actum: Vellem Deum amare, ita, si possem, ac se ille amat. Quod si dicatur illum conditionatè id appetuisse ad suum fastum, eo casu non ostenditur directè peccasse illum appetitu conditionatè æqualitatis, sed aliunde. Quod si dicatur tertium, ostendenda erit vitiositas istius actus.

Auctoritates quæ in oppositum citantur multæ possunt accipi de appetitu æqualitatis per unionem Hypostaticam, de quo infra. Phrases Scripturæ quæ adferuntur de superbia Regum aliorum, literaliter accipiuntur: Hinc non debent in omni rigore de Angelis verificari.

Punctum Difficultatis 2.

tis 2.

Statuitur de peccato Luciferi.

SUPPONO 1. cum Suarez, quod appetere unionem Hypostaticam de se, non sit quid malum: potest enim oriri ex appetitu honorandæ & amandæ Majestatis Divinæ Theandricis actionibus. Posse tamen eundem appetitum vitiari.

SUPPONO 2. Fundamenta varia, ex quibus censet Suar. L. 7. c. 13. eundem appetitum posse vitiari.

i 3

i. FUN-

1. FUNDAMENTUM, quòd appetierit unionem hypostaticam: Ut divinis honoribus frueretur, sed hic appetitus, licet ægrè à superbia depurari possit, tamen absolute loquendo depurabilis est, referendo hunc ipsum honorem non in proprium bonum, sed in bonum ipsiusmet Dei. Indubiè enim noscebat posita illa unionem divinos sibi honores deberi, sequi debere dominari reliquis: demonstrat enim sibi Angelus, supposita unionem divinæ personæ cum natura creata intellectuali, hoc ipso illam omnium evadere dominam. Et sicut appetitus in Christo, ut ab omnibus etiam ethnicis laudetur & honoretur Deus: appetitus item ut dominetur omnibus creaturis, est rationabilis, ita nec ex suppositione conditionatæ illius unionis, ille appetitus esset de se, & præcisè, vitiosus.

2. FUNDAMENTUM est, quia poterant Angeli clausis ad reliqua oculis cordis, tota intentione considerare dignitatem illam sibi esse convenientissimam, & ratione naturalis suæ existentiae, quasi debitam. Sed etiam hoc fundamentum patitur suas difficultates. Nam si ad reliqua oculos cordis clauserunt, non tamen claudere poterant ad ea, quæ sibi demonstrabant, & quæ in deliberatione illa gravi, vel ex ipsa connexionem specierum venire debebant illis in mentem: inter quæ fuit, quia demonstrabant sibi unionem illam, utpote supernaturalem, esse sibi debitam. Quod autem consideraverint illam dignitatem esse sibi convenientissimam, hoc de se non videtur tantum malum: nam indubiè humanitas Christi elicit talem actum, quòd potius naturam angelicam physice digniorem convenerit terminare Verbo, quam semen Abraham. Et sicut quando cogitat creatura rationalis, supposito quòd gratia deberet dari, illam dandam esse creaturæ rationali, eò quòd nonnisi creatura rationalis, possit grata fieri, esseque amica Deo: Sic in præsentipotuit etiam suæ dignitati attendendo, vovere unionem hypostaticam Angelus.

SUPPONO 3. Posse hoc tertium fundamentum vitiandi illius appetitus ad unionem hypostaticam defendi: quia scilicet oppositum ordinem sibi absolute vel fortè conditionatè propositum, nempe quòd non suæ, sed naturæ humanæ esset unienda persona Verbi: quòd inquam oppositum hoc decretum, traxerit in sui vilipendium factum esse: quia odium vilipendii, præsupponit suæ excellentiæ nimium amorem: præcipuè cum illi hæc unio, debita non fuerit. Hinc appetiit indebitam excellentiam. Rursus odium vilipendii in materia indebita, est implicita superbia, & interpretativa: sicut odium odii sui, est amor sui interpretativè. Deniq; quia tale odium præsternit viam ad sistendū in nimio amore indebitæ sibi excellentiæ, ita ut totus ille processus, ab illo complemento, bene & rigorosè, possit dici superbia. Et sicut actus non à primis

complacentiis, nec à desiderii inefficacibus, sed à suo complemento denominatur talis: ita & actus ille procedens primum ab invidia, nimioque amore saltè interpretativo, excellentiæ indebitæ, & insuper formalisatus odio vilipendii sui in materia indebita, demumq; ascendens ad sistendum in amore suæ excellentiæ indebitæ, benedici potest superbia. Est quidem verum, quòd si ego dicam in mei vilipendium subtractum esse mihi hunc favorem, quem scio aliàs mihi non deberi, potius committam indignationem formalem, quàm superbiām. Unde etiam dum damnati ringuntur, quòd aliis majoribus v. g. peccatoribus, data sit perseverantia finalis, non illis, non est actus superbiæ, sed invidiæ & indignationis. Ita & in præsentiprædictus similis actus Luciferi incipit quidem ab invidia & indignatione, sed consummatur, ut dixi, in amore indebitæ excellentiæ, qui amor superbia est.

Ne autem peccatum hoc Luciferi, de quo certò constat, salvetur nonnisi in principis nostris, quæ ponunt venturum Christum, quamvis Adam non peccasset, ut dicitur in materia de incarnatione. In alia etiam sententia defendi id sic posset. Quamvis de facto sit decretus Christus nonnisi post prævisum peccatum, potuit tamen absolute loquendo decerni etiam ante illius prævisionem absolutam; si potuit decerni, ergo ante hoc decretum erat de se formabilis hæc propositio: Quid faceres Lucifer, si natura humana terminetur personæ divinæ? Poterat autem illi hæc propositio revelari, poterat tanquam cogitatio, quæ est in nobis sine nobis à Deo immitti, adeoque habere fundamentum cogitandi, quòd hoc foret in sui vilipendium. Unum videtur obesse quomodo de re nonnisi conditionata, & adhuc pendente tam foret sollicitus. Sed id etiam non multum obest: Nam poterat Deus indere illi talem cogitationem quæ attentum illum redderet sollicitumque de objecto. Deinde nunquid non experimur etiam ipsis conditionatis sollicitari nos desiderii. Immo superbi indignantur etiam conditionatæ suæ postpositioni. *His suppositis*

EXPLICATUR, in quo steterit peccatum Luciferi. Nempe in superbia: Cujus objectum erat Unio hypostatica divina cum natura humana, interpretans hoc futuram fore in vilipendium sui, adeoque ultimò sistens ex dictis Supp. 3. in nimio desiderio suæ excellentiæ.

Quod peccatum illud fuerit superbiæ. Ratio est Auctoritas Scripturæ, cujus loca literaliter de regibus aliquibus intellecta, accommodantur à Patribus, Luciferi. Unde habetur Isai 14. *Detracta est usque ad inferos superbia tua.* Ulterioraque verba de ascensu in celum, formalissimè superbiām indicant. Ezech. etiam 28. dicitur; *Elevatum est cor tuum in decore tuo.* Post

Suarez vide Mart. d. 44. n. 5. plura loca adferentem: Unde etiam Chrys. hom. 10. explicans illud locum, 1. ad Timoth. 3. *Ne in superbiam elatus in iudicium incidat diabolus*, ita explicat, *ne elatus, hoc est, ne eandem incurrat damnationem, quam ille, per arrogantiam pertulit*. Similia habet Theodor. Theoph. Basil. Hieron. Ep. 83. sic ait: *Iudicium & ruina diaboli, nulli dubium, quin arrogantia sit*.

Quod autem de facto materia superbiæ illius fuerit Unio hypostatica. Ratio est, nam in primis sunt loca Scripturæ, quæ ostendunt affectum illum Deitatem, qualis est Isai 14. *Ascendam & similis ero Altissimo*, qui locus cum non possit accipi de æqualitate naturæ, ut sup. dictum, debet accipi de æqualitate in persona. Ezech. 28. *Dixisti, Deus ego sum, & in cathedra Dei sedi &c.* Dicit etiam Christus de diabolo Joan. 8. *quod ab initio hominida fuerit*; quem locum Rupert. l. 8. in Joan. in fine interpretatur de homicidio in Filium Dei, quem odio habuit ob superbiam, profecto volens auferre illi Unionem hypostaticam quasi vitam divinam. Favent etiam verba Gregorii L. 33. Moral. in 40. Job. c. 20. ad finem: *Quia enim carnis morte non premitur & ademptorem carne mortalem vidit, altiori fastu relationis intumuit, sed ubi contra auctorem suum, gemma se superbiæ exultat, ibi laqueum suæ mortis invenit; nam ea ejus carnis morte prostratus est, quam expectat clarus, & inde pertulit laqueum, unde quasi se sam suæ malitiæ, mortem iusti concubavit*.

Discurrit etiam Suarez c. 13. n. 30. An habuerint Angeli præceptum adorandi Christum? Dicitq; quod ad hoc non sit necesse recurrere, quia ad hoc sine positivo præcepto, ex natura rei, videbantur obligari ad adorandum propositum sibi Verbo caro facto. Quo adduci potest illud testimonium; *Ei cum iterum introduci videretur in orbem terræ, dicit, & adorent eum omnes Angeli ejus*. Cum hoc tamen eam, quod intra eandem superbiam involvantur alia peccata, invidiæ præcipue, & inobedientiæ. Suarez etiam offendit omnes gradus superbiæ repertos in hoc peccato superbiæ.

DICES 1. Si Angelus appetiit Unionem hypostaticam, ergo appetiit contra naturale desiderium suæ conservationis; quia desiderasset destructionem suæ personæ.

RESPONDETUR. Destructionem propriæ personæ, si excellentiori infinitè personâ impleatur, non esse quid malum, sed potius infinitè bonum.

DICES 2. Vel appetiit unionem independentem à decreto divino; & hoc non, quia demonstrabat sibi illam perfici non posse independentem à decreto; Si autem id voluit dependentem à decreto, non peccavit.

RESPONDETUR. Peccasse illum superbiâ, eo quod interpretatus sit, in sui vilipendium, decretum favens naturæ humanæ.

DICES 3. Hæc sententia supponit latum præceptum de adorando Christo, & tamen negant ullum præceptum latum Angelis Chrysostomus & Origenes.

RESPONDETUR. Non negare illos præceptum naturale, quale est submittendi sese Verbo incarnato standi Dei decreto & similia. Sed negasse præceptum simile ei, quod hominibus latum, in quo materia aliàs licita, prohibitione, extracta est ad illicitam. Sed

QUÆRES. An Lucifer fuerit supremus in angelica natura? Damasc. L. 2. c. 4. Aug. L. 3. de Gen. ad lit. c. 10. Epiphanius, Theod. Ruffinus Andr. Cæsariensis negant fuisse supremum. Probabileque putat S. Thom. quodl. 5. a. 7. ad 1. Quia non decuit, ut nobilissimam creaturam perderet Deus. Oppositum sentit Gregorius L. 4. Mor. c. 13. aliàs 12. & l. 9. c. 2. l. 22. c. 18. aliàs 24. Hier. Tertull. Nazianz. Chrys. Cyrill. Bern. Hugo. Ratio, quia cum peccatum illud fuerit ratione appetitæ indebitæ excellentiæ, debebat, quantum pertingere possumus, cadere in supremum, excellentiâ. Hæc tamen ratio non convincit, quia sufficiebat ut esset inter supremos, non supremus: vel ad maximum ut esset supremus omnium peccantium Angelorum. Locus autem ille Job. 40. *Ipsè est principium viarum Dei*, in negativo sensu accipi potest: quia scilicet ejus creationem, non præcessit creatio alius entis.

DIFFICULTAS II.

De Peccato aliorum Angelorum.

VASQUEZ 238. n. 3. censet non esse certum, quod à supremo ex peccantibus Angelo, inducti sint reliqui ad peccandum, tenetq; hoc Alber. Guilhelmus Parisiens. Alph. de Castro, Alex. Antisiodorensis apud eundem n. 1. Sed oppositum communius docetur eum S. Thom. fulto auctoritate PP. ut Damasc. Ambr. Gregor. Hieron. apud eundem Vasquez. præter quos Suar. L. 7. c. 17. adfert Nazianzenum Cæsar. Orig. Chrys. Cyrillum, Hieron. Euseb. & ex Latinis Lactan. Prosp. Aug. Bern. ad quod alludit Isai. c. 14. Ezech. c. 28. & 31. Job. 41. & Apoc. 12. Ubi caudâ dicitur traxisse tertiam partem cæli, quod accommodatur ad casum Angelorum.

Quæ fuerit materia peccati illorum ex dictis decidi debet. Quia scil. persuasit illis sine præiudicio suæ dignitatis, non debuisse conferri Unionem hypostaticam, excellentiæq; naturæ angelicæ, tribuendam fuisse.

Jam autem quo modo induxerit illos, hic perstringendum est: non induxit enim illos præcise solâ sua actione; quia hæc cum sit actus liber, non poterat esse notus aliis, necessariò ergo illic immisceri debuit locutio, quæ non poterat stare in hoc solo: Ego hoc facio. Tum